basi planâ vel concavâ, Carapatina Merc. 336: Bufonites maximus hemisphaericus murini coloris. Alius pulchrè variegatus et circulis flavis, aureis, fuscis, ac corulis [illegible] Idem minor. Alius circa marginem flavescens in medio albus cum punctulo flavescente maior. alius circa marginem flavescens, deinde circulo dilute cinereo donatus, ac in medio maculâ fuscâ maior. Alius obscurè flavescens mediocris. Alius circa marginem albescens in summitate flavus minimus.

123. Lapides Bufonii convexo acuminato eleganter splendentes; Bufonitæ acuminati dicti: Bufonites acuminatus maior circa marginem circulo latiusculo obscurè cinereo deinde angustiore albescente, atque in acumine castanei coloris. Alius mediocris margine castaneo, dein circulo albo, et acumine flavo. Idem margine cinereo, dein albus, et acumine flavo. Idem maior margine fusco, dein cinereo, ac acumine flavo, oculum scilicet perpulchrè referens. alius minimus ovalis castanei coloris. Variæ Bases Bufonitarum tam hemisphaericorum, quàm acuminatorum, planæ, et concavæ.

Bufonitæ acuminati.

124. Lapides Bufonii conoidei: Lapis Bufonius conoideus nigrescens. Alius rufescens cum maculis nigris.

Bufonitæ conoidei.

125. Pisces marini cum mandibulis, è quibus Bufonitæ desumuntur: Aurata minor. Rond. p. 115. Meer-Bold-brachsmen Gesn. 23. Bold-karpffen. Jablonski Lex. 254. Eius maxillæ cum suis dentibus. Sardus Rond. 122. Brissen, oder Geiß-brachsmen. Gesn. 24. Synodus, seu Dentex Ruisch. p. 55. t. 18. Zahn-brachsmen Gesn. p. 26.

Pisces marini, è quibus desumuntur.

126. Matrices Bufonitarum, et Dentes dictorum Piscium, qui petrificati Bufonitas constituunt: Varii Dentes Auratæ, Sargi, et Denticis seu Synodi petrificati

Varii dictorum Piscium marinorum Dentes petrificati.